

*principio an medio loco an in fine? Responderunt: In equinoctio, id est 8. Kal. Apr.<sup>1)</sup>. At illi dixerunt: Probate, quod dicitis. Responderunt: Dicente scriptura: Et fecit Deus lucem et tenebras, et lucem vocavit diem, et tenebras vocavit noctem, et divisit<sup>a)</sup> Deus inter lucem et tenebras equas<sup>b)</sup> partes. Dixerunt: Sic est verum. Ecce de die vel tempore probastis. De luna, quid vobis videtur? Quomodo dicimus fuisse creatam in mundo plenam aut minuentem? Responderunt: Plenam. At illi dixerunt: Probate, quod dicitis. Responderunt: Scriptura dicente: Et fecit Deus duo luminaria magna et posuit<sup>c)</sup> ea in firmamento celi, sic, ut luceant super terram; luminare maius in<sup>d)</sup> inchoationem diei et<sup>e)</sup> luminare<sup>f)</sup> minus in<sup>d)</sup> inchoationem noctis, que tota nocte luceat<sup>g)</sup> super terram; non potuit esse aliter nisi plena. Dixerunt: Sic est verum.*

## I, 4

*Ergo quomodo fuisset creatus mundus, inveniamus! Responderunt: Die dominico verno tempore equinoctio, hoc est 8. Kal. Apr. et luna plena. Dixerunt: Sicut in principio mundus creatus est, per ipsum tempus etiam per resurrectionem dominicam redemptus est a peccato. Resurrexit<sup>h)</sup> itaque Iesus Christus Dominus noster die dominico verno tempore equinoctio luna plena. Dixerunt: Ecce, investigavimus, quomodo in principio factus est mundus vel a peccato redemptus. Nunc de observatione Pasche<sup>i)</sup> agendum est, quo die aut quo tempore vel luna Pascha debeat<sup>j)</sup> ordinari. Responderunt: Non aliter, nisi die dominico, qui tot ac talibus benedictionibus sic sanctificatus est. Dixerunt: Prima illa benedictio est, quod in ipso tenebre remote<sup>k)</sup> sunt. Secunda, quod populus Israel ex Egipto tenebrarum velut per<sup>l)</sup> baptismum fontis<sup>l)</sup> per Mare Rubrum de duro servitio fuerit<sup>m)</sup> liberatus. Tertia, quod mandat Moyses<sup>n)</sup> ad populum et dicit: Observatus sit vobis dies 1. et novissimus, hoc est dominicus et sabbatum. Quarta, quia<sup>o)</sup> 117. psalmus totus de passione et resurrectione<sup>p)</sup> cantatur. De passione: Circumdantes<sup>q)</sup> circumdederunt<sup>r)</sup> me, et in nomine Domini vindicabor in eis. Circumdederunt<sup>s)</sup> me, sicut apes favum, et exarserunt, sicut ignis in spinis<sup>t)</sup>. Et interiectis<sup>u)</sup> versibus: Lapidem, quem reprobaverunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Hec de*

<sup>a)</sup> divissit V.    <sup>b)</sup> equales L.    <sup>c)</sup> possuit V.    <sup>d)</sup> fehlt V.    <sup>e)</sup> fehlt L.  
<sup>f)</sup> folgt autem L.    <sup>g)</sup> lucebat L.    <sup>h)</sup> resurrexit V.    <sup>i)</sup> Pasce L.    <sup>j)</sup> debebat V.  
<sup>k)</sup> remota V.    <sup>l)</sup> per — fontis: per baptismi fontem L.  
<sup>m)</sup> fuit L.    <sup>n)</sup> Moyses L.    <sup>o)</sup> quod L.    <sup>p)</sup> resurrectione V.    <sup>q)</sup> circumdantes V.  
<sup>r)</sup> circunderunt V.    <sup>s)</sup> circumdederunt V.    <sup>t)</sup> spini L.  
<sup>u)</sup> folgt aliquot L.

<sup>1)</sup> 25. III.